

H A N N O N I A.

duceret Iacobam Comitissam Hollandiæ, Philippus Bonus Franconi hunc Comitatum adsignavit.

*Quenoy.* *Quercetum, Quenoy*, oppidulum est, tertio lapide à Valencena, mercimoniis nobilitatum. Olim sedes fuit & dotalium Comitissarum Hannoniæ, sed postquam potiti ea sunt Duces Burgundiæ, suffectum ei est Binchium.

*Condé.* *Condatum, Condé*, ad dexteram Scaldis ripam est, altero à Valentianis milliari, oppidulum satis lautum, & exigua arce conspicuum.

*Landrecy.* *Landrecy* ad fluvium Sambram, oppidulum minutum quidem, sed & idem munitissimum, ac famosum mirabili illa obsidione Caroli V, Imperatoris, anno 1543. Restituit tandem Rex Galliæ, pace anno sequenti facta, Illustrissimo Duci Arschotano, cui hæreditario jure debebatur, sed permutavit cum Duce bonis æquisque legibus idem Carolus Quintus.

*Avesnes.* *Avesnes* posita est ad torrentem Hepram, oppidulum non contemnendum, munium, & Comitatus dignitate spectabile. Erat vero & ista nuper in ditione Ducis Arschotani, qui accepto æquivalente pretio permutavit eam cum Rege Catholico, quoniam enim in confiniis Galliæ erat, potentiore opus habebat Principe, qui securam præstaret ab hostili omni incurfu.

*Chimay.* *Chimacum, Chimay*, in nemore situm est, ad fluvium Blancam. Domos habet mediocri pulcritudine: tum & regiam Principis hortis ac Labyrintho amœnam. Principatus gaudet dignitate, cujus titulum inter cæteros suos inscribit Dux Arschotanus. Fuit equidem misere nimis mulctatum, ac destructum sæpe, ultimis istis cum Gallorum rege bellis, sed instauratum rursus, sic ut multo quam ante sit pulcrius & adversus hostiles insultus munitius.

*Mariæburgum.* *Mariæburgo* nomen dedit à suo nomine Maria Regina Hungariæ, quæ jubente Carolo V, imperatore, condendum curavit, paulo postquam Dominus Longovallius & Martinus Rossenius exercitum ducentes Gallicum, relicta Brabantia Lutzenburgum petierunt, anno 1542. Situm est inter duos torrentes, Blancam nempe, à quo teli tantum jactu, & Nigram, à quo semileuca distat, oppidum situ & opere munitissimum, valido admodum muro, ac pulcerrimis quatuor propugnaculis terribile, quæ & quadrangulum illud & magis inexpugnabile efficiunt. Capta tamen à Gallis anno 1554, quo tempore Philippus ad excursions Gallorum cohibendas aliam urbem exstruxit sesquimillari à Mariæburgo, dixitque eam Philippopolim, *Philippesville*, quæ & ipsa, situ, opere, muris, propugnaculis oportune dispositis, validissima adversus hostem censetur.

*Beaumont.* *Bellefontium, Beaumont*, situm est in amœno colle, unde & nomen accepit. Perexiguum quidem, sed amœnum, & valde pulcrum oppidulum. Dynastam agnoscit Arschotanus. Attribuebatur olim secundo genitis Comitum Hannoniæ, unde & Comitatus titulo gaudet.

*Maubeuge.* *Malobodium*, vulgo *Maubeuge*, Montibus quatuor fere leucarum spatio diffidet. Interluit oppidum Sambra, commodus transferendis mer-

cibus, quæ lanæ hic potissimum sunt. Habet nobilissimum Canoniarum collegium, institutum à Diva Aldegundi, quæ & celebre illud templum condidit, cui ab ipsa postea factum est nomen.

*Bavacum*, vulgo *Bavais Walonne*, ad discrimen cognominis oppidi *Bavais Picarde*. Illud sane perexiguum est oppidum, etsi quidam Hannoniensium rerum scriptores velint, fuisse magni nominis ac momenti urbem, & quidem *Belgium dictum*, unde Belgicæ nostræ vocabulum fluxerit.

*Binchium*, vulgo *Binche*, oppidum antiquum satis, & civibus olim frequens, sed continuis hæc bellis ita misere attritum, ut incolarum plerique Montes migrarint. Donaverat hoc Mariæ Reginæ Hungariæ Carolus Quintus, quo tempore ipsa Belgicæ præerat, quare palatiis, hortisque ad omnem amœnitatem factis exornaverat. Reliquorum oppidorum descriptiones apud Guicciardinum vide.

Notandum insuper, contineri terræ Hannoniæ finibus Tuinum atque Covinum, oppida Leodicensi Episcopatu subdita. Sicuti Vallocuriam quoque, oppidum istac terra quidem contentum, sed Namurcensi tamen Comitatu accensitum.

V A L E N C E N A.

*Valencena*, seu, ut quidam volunt, *Valentiniana* ab ejus nominis Imperatore, ut autor est Sigebertus Gemblacensis (qui etiam refert an. 1271, Carolum Magnum Imperatorem eo loco totius Galliæ Comitiam celebrasse) ad Scaldim sita est, planitie peramœna, eoq; tuta ab hoste. In ea est armamentarium ad belli usum instructissimum. Templum duo, unum sacrum B. Virgini, structura antiqua, cujus columnæ ex marmore & lapide porphyretico: alterum B. Joannis, recentius, opus Pipini, qui pater Caroli Magni fuit: Cœnobium plura: unum præ cæteris nobile Franciscanorum, quo Comites Hannoniæ & Domini Valencenæ seorsim sepeliuntur. Curia amplissima cum horologio celeberrimo, opus Guilielmi Boni, Comitis Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ. Porro Respublica hæc tanta prudentia constituta, & tam bonis legibus ornata est, ut Noribergenses ad ejus exemplum celeberrimam suam rempubl. voluerint componere, missis ad hanc rem aliquot viris prudentibus, quod & Romanos fecisse accepimus in Republica Atheniensi. Proinde non est mirum, si ex tam præclara politia orti fuerint cives per universum orbem virtute celebres. Inter quos primas tenent Henricus VII, Imperator, Dux Lutzenburgicus: Maria filia unica & hæres Caroli Audacis, avia Caroli V: Joannes Froisardus, historicus nobilissimus, qui etiam hoc ipsum initio operis sui testatus est. Porro hæc Respublica initio Comitatus fuit, habuitque Comites suos proprios & singulares, quorum ultimus Garnerius, qui eam vendidit Reinerio Comiti Hannoniensi, & Lamberto Comiti Lovaniensi fratribus. An. 973 Lambertus improlis obiit. Reineri filia Richildis nupsit Comiti Flandriæ Balduino, paruitque ex eo Valencena Flandriæ: non tamen ut pars, sed ut disparata Respublica, proprias habens leges & consuetudines. Postremum ad Duces Burgundiæ & domum Austriacam devolutum est imperium. Non habetur tamen ut oppidum Hannoniæ, sed tanquam in ejusdem fundo positum. Vnde etiam proprios habet Præpositum, Senatam, leges, forum juridicum & tribunal. Similiter quando Comitatu Hannoniæ imponuntur numerorum exactiones, nihil tanquam ejus membrum contribuit, sed ut juris sui ditio. Oppidum est magnum, amœnum & prædives. Vno milliari à Valencena, est Abbatia *Vicoigne*, refertissima optimorum & antiquissimorum librorum.

*Bavais.*

*Binche.*

*Valencena.*

*Olim Comitatus.*